



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

In foro autem interiori confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat, juxta formam communem, supra, præscriptam, in absolutione Sacramentali.

Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum.

Si quis excommunicatus ex hac vita discedens dederit signum contritionis, ne Ecclesiasti-
cā careat sepultura, sed Ecclesiæ suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvī
potest, hoc modo.

Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur, & absolvatur, ut infra, deinde absolu-
tum in loco Sacro sepeliatur.

Si verò fuerit sepultum in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eo-
dem modo verberabitur, & post absolutionem in loco sacro sepelietur; sed si commodè ex-
humari non potest, locus sepulturæ verberetur, postea absolvatur.

Quodsi in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum
autem corpus sive sepulturam verberat, Sacerdos dicat antiph. Exultabunt Domino ossa
humiliata. Ps. Miserere mei Deus &c. quo finito absolvatur dicendo Auctoritate mihi
concessâ, ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi (vel incurrisse decla-
ratus es) propter tale factum, & restituo te communioni fidelium.

In nomine Patris, **¶** & Filii, & Spiritus sancti Amen. Deinde dicetur psalm. De
profundis, in fine Requiem aeternam dona ei Domine. **R.** Et lux perpetua &c.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison; Pater noster. **V.** Et
ne nos inducas in temptationem. **R.** Sed libera nos à malo. **V.** à porta
inferi. **R.** Erue domine animam ejus. Requiescat in pace. **R.** Amen.

V. Domine exaudi orationem meam. **R.** Et clamor meus &c.

Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DA quæsumus domine, animæ famuli tui, quem excommunicationis
sententia constringerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, &
superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. **R.**
Amen.

De modo absolvendi à suspensione, vel interdicto, extra vel intra
Sacramentalem confessionem

Si Sacerdoti sit commissa facultas, absolvendi aliquem à suspensione, vel interdicto, quam-
vis nulla verba sint præcipue determina, uti poterit hac formula.

Poenitens dicat Confiteor &c. Sac. Misereatur &c. Indulgentiam &c.

Deinde.

Auctoritate mihi à N. traditâ, ego te absolvo à vinculo suspensionis (vel
interdicti) quam (vel quod) propter tale factum (vel causam) incurristi
(vel incurrisse declaratus es.) In nomine Patris, **¶** & Filii, & Spiritus
sancti. Amen.

Si verò confessario, sive in foro conscientiæ, sive extra data est potestas dispensandi su-
per irregularitatæ, tunc, postquam absolverit à peccatis, addat consequenter.

Eteadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate (vel si sint
plures, irregularitatibus) in quam, (vel in quas) ob tales (vel tales cau-
sus) NN. incurristi, & habilem reddo te ad omnes ordinis
& officiorum tuorum. In nomine Patris, **¶** & Filii, & Spiritus san-
cti. Amen.

Si nullum ordinem habeat, dicatur. Habilem reddo te ad omnes ordines
fusciendos, vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati.

Quod-